



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. I. Vtrum debeant esse septem Sacramenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO LXV.

De numero Sacramentorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum debeant esse septem Sacramenta?



DVERTE tam hoc articulo quàm sequentibus agi de Sacramentis noue legis.

Conclusio est affirmatiua.

Notandum hæreticos nostri temporis, vt refert Bellarm. lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 23. variè circa numerum Sacramentorum errare. Alij ponunt duo, scilicet baptismum & cenam; alij tria, quorum aliqui ponunt baptismum, cenam, penitentiam; alij baptismum, cenam, matrimonium; alij baptismum, cenam, ordinationem; alij ponunt quatuor, baptismum, cenam, ordinationem, penitentiam; tandem aliqui septem agnoscunt.

Fides Catholica septem agnoscit, definitur in Florent. decreto de Sacramentis his verbis: *Nouè legi septem sunt Sacramenta, scilicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, penitentia, extrema vinctio, ordo, & matrimonium.* & in Concil. Trident. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere vbi definitur non esse plura aut pauciora, vbi obiter

Notandum, non solum enumerari septem à Concilio, quod illa ratio sit satis commoda, siue in re sint plura siue pauciora, sed quod re ipsa sint septem, nec plura, nec pauciora.

Notandum 2. Concilia non intendere definire septem esse Sacramenta, quorum vnumquodque sit vnum specie infima, vel vnum physica unitate & per se, sed solum indefinitè, siue aliqua sint vna specie subalternà, siue unitate quadam moralis.

Ad hanc veritatem probandam variè scripturæ & Patres adferri possunt, sed quia nusquam vno loco dicunt esse septem Sacramenta, res aptius suis locis ostendetur, probando ex scripturis & Patribus vnumquodque Sacramentum ab Ecclesia receptum, esse verè & propriè dictum Sacramentum.

D. Tho. huius numeri adfert congruentiam: quemadmodum in vita corporali homo formatur & perficitur vel in ordine ad se, vel in ordine ad communitatem; ita & in vita spirituali, homo spiritualiter formatur in ordine ad se per baptismum, dum accipit esse spirituale & spiritaliter generatur, admittiturque in Christi familiam: deinde roboratur per confirmationem; cum nutritur per Eucharistiæ Sacramentum: & quia potest morbis spiritualibus subiacere, si quando labatur, sanatur à morbo, id est à peccatis, per Sacramentum penitentiae: tandem per extremam vinctiorem confortatur contra tentationes, & preparatur ad discessum ex hac vita: atque ita quinque Sacramenta sunt instituta pro hominis perfectione in ordine ad se. Duo verò deferuntur vt homo formetur in ordine ad alios,

scilicet ordo, per quem constituuntur duces hierarchici in Ecclesia, & matrimonium per quod suppeditatur Ecclesiæ soboles secundum carnem, in qua congruentia D. Tho. conuenientem ponit ordinem inter Sacramenta, quem etiam seruauerunt Concilia locis citatis.

Contrà obicitur 1. quòd Patres nunquam hunc numerum posuerint.

Resp. 1. suis locis ostenditur singula Sacramenta à Patribus agnita fuisse, licet non omnia quouis loco posita.

Resp. 2. non sequi non esse septem, cum aliud sit tacere, aliud negare & excludere: posterius non fecerunt Patres, quamuis fecerint prius.

Ratio autem cur non posuerint numerum septem Sacramentorum, sed alij pauciora, alij plura interdum recensuerint, est quòd non voluerint numerum Sacramentorum recensere; sed iuxta scopum sibi propositum interdum duo Sacramenta, interdum plura explicuerint, & de quibusdam celebrioribus exempli causâ locuti fuerint: qua ratione Ambros. libris de Sacramentis non omnia enumerauit, quia solum volebat agere de iis, quibus initiantur accedentes ad religionem Christianam. Dionys. etiam lib. de ecclesiastica hierarchia non disputat de omnibus Sacramentis, sed tantum de actibus hierarchicis, qui solemnè ritu fiunt, & ideo solum recenset baptismum, confirmationem, ordinem, & Eucharistiæ sacrificium. similiter alij Patres modò huius, modò illius Sacramenti meminerunt iuxta propositum sibi finem, non intendentes negare alia Sacramenta.

Obicitur 2. August. epist. 118. in principio vbi dicit: *Sacramentis numero paucissimis, oblatione facilissimis, significatione prestantissimis societatem noui populi colliguit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur.* consimilia habet lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. & in psal. 73.

Resp. August. non ita loqui quòd existimaret esse pauciora quàm septem, sed vt doceret esse pauciora quàm in lege Iudaica, in qua plurima fuerunt genera sacrificiorum, variè fuerunt lustrationes, rationes pilorum, sacerdotum consecratio &c. quorum comparatione nostra Sacramenta dicuntur pauca.

Cæterum August. agnouisse nostra septem Sacramenta docetur à plerisque, & ex variis eius sententiis suis locis ostendetur.

Nec refert quòd loco citato solum ponat baptismum & Eucharistiæ, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur; quia hac loquendi forma vtitur, non quòd velit illa sola esse Sacramenta, sed quòd sint celebriora & magis deferuentia ad ostendendam adunationem populi Christiani, & proinde solum ponit illa exempli causâ, immò posteriori parte satis ostendit se agnoscere alia Sacramenta; cum non potuerit ignorare penitentiam in scripturis commendari, Ioan. 20. & alia aliis locis.

Adde quòd licet singula Sacramenta in scripturis non continerentur, non ideo August. dicendus esset de illis dubitare, cum traditio ecclesiastica illa agnoscat, quam traditionem semper maximi fecit.

Quod ergo dixit de iis quæ in scripturis canonicis commendantur, subintelligendus est etiam de

Obiectio 1.

Resp.

3.

PP. cur non semper Sacramenta 7. recensuerint.

Obiectio 2. August.

Resp. Mens Augustini.

4.

Eiorem.

his quæ commendantur traditione Ecclesiæ: de qua præclare Hieron. dialogo contra Luciferianos ante medium ait, *Annesius hunc esse Ecclesiæ morem; ut baptizatis postea manus imponantur & inuocetur Spiritus sanctus? exigis ubi scriptum sit in actibus Apostolorum. & etiam si sacre Scripturæ autoritas non subisset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Obiectio 3.

E contra potest obijci quod sint plura Sacramenta. nam varij docent exorcismos & insufflationes esse Sacramenta; item signum crucis & similia.

Resp.

5.
Exorcismi
& eiusmodi
ceremoniæ non
sunt Sacramenta in
stricta significatione.

Resp. hæc ita vocari latiori significatione, quia sunt sacra signa, non verò significatione strictiore; quod patet ex definitione Concil. Trident. citata, & ex ipsius Ecclesiæ sensu; quia Ecclesia nunquam censuit gratiam sanctificantem per hæc conferri, seu hæc esse signa practica gratiæ sanctificantis, quod est de ratione Sacramenti. quam ob causam neque aqua benedicta est Sacramentum propriè dictum, cum illius aspersio ex se non conferat gratiam sanctificantem. Adde illam institutam ab Ecclesia, quæ non potest instituere efficacia signa gratiæ, similiter lotio pedum non est Sacramentum, siue gratia fuerit in ea collata, siue non; quia non est instituta & relicta Ecclesiæ tanquam medium ordinarium per quod gratia ex opere operato conferretur, quod ad rationem Sacramenti nouæ legis requiri ostendimus supra quæst. 60. sed Christus lauit pedes discipulorum, ut nos doceret humilitatem, & charitatem, & quanta cum puritate debeamus ad Eucharistiæ Sacramentum accedere.

ARTICVLVS II.

*Utrum Sacramenta conuenienter
ordinentur secundum modum
prædictum?*

Resp. affir.

6.
Ratio ordi-
nis assigna-
ri inter Sa-
cramenta.

RESPONDET affirmatiuè. quod ostendit in corpore: prius est vnum quam multa; igitur conuenienter prius recensentur Sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem vnius, quam ea quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis; & proinde conuenienter quinque Sacramenta ponuntur ante ordinem & matrimonium.

Inter ea quæ ordinantur ad perfectionem vnius in seipso, ea sunt priora quæ perficiunt per se; vnde conuenienter baptismus, confirmatio, Eucharistia prius recensentur quam penitentia & extrema vinctio; cum illa spectent per se ad vitam spiritua-lem hominis, vel acquirendam vel augendam, penitentia verò & extrema vinctio ordinantur per accidens, scilicet ad remouendum impedimentum peccati superueniens. optimè ergo ponitur primo loco baptismus per quem vita spiritualis comparatur. 2. confirmatio quæ pertinet ad perfectionem formalem virtutis, & à Patribus dicitur perfectio & complementum baptismi, solebatque olim immediate post baptismum conferri. 3. Eucharistia per quam homo spiritualiter nutritur. 4. penitentia per quam homo refurgit & sanatur à peccato. 5. extrema vinctio quæ consummat sanitatem. Ordo est 6. loco, & commodè præcedit matrimonium, quod inter Sacramenta minimum habet spiritualitatis.

Hic ordo
habet fun-
damentum
in rebus.

Ex quibus patet hunc ordinem non esse omnino voluntarium, sed aliquo modo fundatum in ipsis rebus. est tamen aduertendum non sumisse

cundum gradum perfectionis inter ipsa Sacramenta, neque etiam iuxta gradum necessitatis, sed iuxta fines Sacramentorum quos habent in ordine ad vitam spiritualement, excepto matrimonio, quod passim postponitur Ordini propter congruentiam à D. Tho. allatam

ARTICVLVS III.

*Utrum Sacramentum Eucharistiæ sit
potissimum inter Sacramenta?*

CVM de fide sit non omnia nouæ legis Sacramenta inter se esse paria dignitate, vt definit Concil. Trident. sess. 7. canone 3. de Sacramentis in genere, merito hanc quæstionem mouet D. Tho. ad quam

Respondet affirmatiuè. quia realiter & substantialiter continet ipsum Christum Sacramentorum authorem, & cetera referuntur ad hoc Sacramentum vt ad finem. vide eundem.

Aduerte tamen baptismum quoad necessitatem esse potissimum, quoad excellentiam ministrum potissima esse Ordinem, & Confirmationem. nam minister ordinarius horum Sacramentorum est solus Episcopus, cum tamen baptismus, penitentia, extrema vinctio, Eucharistia possint à simplicibus sacerdotibus tanquam à ministro ordinario confici.

ARTICVLVS IV.

*Utrum omnia Sacramenta sint de
necessitate salutis?*

PRÆMITTIT aliquid dupliciter posse dici necessarium; vno modo sine quo finis obtineri nequit, altero modo sine quo non potest ita commodè obtineri. hoc præmissis

Respondet priori modo necessaria esse tria Sacramenta, duo singulis, scilicet baptismum & penitentiam; baptismum quidem absolute, penitentiam verò supposito peccato mortali post baptismum: tertium verò scilicet Ordinem esse necessarium Ecclesiæ. Reliqua verò esse necessaria secundo modo, quia licet saluè obtineri possit sine Confirmatione, tamen utilis est ad gratiam & salutem comparandam: & ita de aliis. vbi

Notandum D. Tho. agere de necessitate medijs, supposita Sacramentorum institutione, & vel le aliqua Sacramenta saltem in voto esse necessaria singulis necessitate medijs, vt baptismum simpliciter, penitentiam verò ex suppositione peccati mortalis post baptismum commissi; alia verò non esse quidem necessaria, esse tamen utilia, atque adeo Sacramenta non esse superflua. videri potest canon 4. de Sacramentis in genere sess. 7. Concil. Trident.



QVÆSTIO